DISCURSUS PUBLICUS

DE

JURE AC POTESTATE PARLAMENTI BRITANNICI,

Quem

D. T. O. B. A.

ATHENIS SALANIS

Suffragiô

Illuſtris JCtorum Ordinis,

in argumentum diſputandi

publicè exponunt

JOANNES ANDREAS Gerhard / D.

&

ORTHGIES Schulte Nob. Bremens.

ad d. Jul.

horis conſvetis

in Auditoriô Juridicô.

JENÆ

Typis GEORGI SENGENWALDI,

ANNO M DC LX.

§. I.

KAROLUS II. REDUX.

TAndem igitur in fines suos reductus est KAROLUS II. Magnæ Britanniæ Rex, per duo, & quod excurrit, lustra Exul. Depellebatur Regnô Patriô, fati infelicitate: hâc tamen privari non poterat *jure imperandi*, quod ipsa Natura ei dederat. Amittebat solum naturalem (uti vocant) Regni possessionem, quam occupabat *novus Britanniæ Protector* (uti appellari voluit) *Cromwellus*, qui satis diu (nescio an prudentiâ an potentiâ) hujus Insulæ extitit malæ fidei possessor. Hunc namque dicimus, qui res alienas, sciens esse eas alienas, arripit, possidet, detinet, sive bona privata, sive ipsissima territoria ac regna; Hunc ipsum, si adhibeat arma atque veteri possessore expulsô per vim possessionem adquirat, prædonem rectius vocabis. Is tamen, qui hôc modô possessione dejicitur, per hoc non dominiô privatur, sed per interdictum *unde vi* possessionem amissam recuperare potest. Sic & KAROLUS semper retinuit Regnum, quamvis non actu, tamen potestate ac jure; licet non naturaliter, tamen civiliter. Manfit eum semper dominium Regni, seu aliud jus in re, statim à morte Patris ipsi quæsitum, & ex hôc jus ad recuperandam possessionem & imperandi actum, facultas persequendi jus suum & actione belli experiundi contrà; interdictis possessoriis agendi, nec non postulandi injuriarum partem adversam, litem ab infelice Parente contestatam ac cœptam continuandi, restaurandi, cæterisque beneficiis juris utendi. Sed uti melius est, rem habere quam actionem; possidere quàm agere: Ita omninò satius jàm est KAROLO, ipsam Insulam habere, quàm jus ad illam; ipsum Regnum, quàm nudum

Regis nomen. Hanc rerum revolutionem mecum perpendens, animum admiratio subit novi hujus & inusitati prorsus Exempli. Rex regnô pulsus, sedibus suis restituitur, non metu, non sangvinis effusione, sed statu pacatô, amore Gentis suæ, decretô PARLAMENTI. Cujus jus ac potestatem, *tàm in statu Reip. turbatô, quàm in Regiô restituô*; hodiè considerare, animus nobis est. D. F.

§. II.
BRITONUM METAMORPHOSIS.

SI statum *Britanniæ* modernum perpendas, non poteris non mirari varietatem Populi hujus. Quondam Regiæ Dominationi infensissimus ad libertatem proclamabat. Mox dum libertatem nactus videbatur sibi, in veram servitutem se detrudebat, supremum sibi eligens non sangvine ac naturâ talem, sed parem. Hodiè ad sanos redit mores, & execratur pristini temporis memoriam, liberatus metu *Cromwelli*, veterisq; Parlamenti, quod per deterrimum nefas abreptum Regem nondum poscenti reddidit cœlo. Nunc Regale sceptrum ad imos dejectum erigit iterum, veramq; libertatem adspirat, quam cum Rege ejectô fatetur amissam. Dum KAROLUS I. Martyr in ferali theatrô securi percutiebatur, ipse KAROLUS omnibus erat tyrannus, aut si non erat, dici tamen debebat; imò tota Gens Stuartica Patriæ gravis, infesta, inimica. Hodiè dum ad se rediêre Britones, fatentur ipsi, *se non tyrannum, sed Regum hominumq; optimum peremisse*, libertatemq;, dum eam quærere enisi fuerint, verè amisisse. Erat in Supremâ Insulæ Curiâ (Domô Parlamenti, quæ Londini est & **West-Münster** vocatur) supra Imaginem KAROLI Stuarti inter icones Regum positam superscripta hæc Epigraphe: EXIT TYRANNUS, REGUM ANGLIÆ ULTIMUS d. JANUAR.

30. Anno 1649. Hodiè animis mutatis tabulam quoque mutârunt, scribentes: Ecce, exit non Tyrannus, sed Regum Hominumq; Optimus, Annô Libertatis Angliae amissae Primô, Januar. 30. Anno 1649.

§. III.

PARLAMENTI NOTATIO.

SAtis præfocuti sumus. Nunc ad ipsam rem. De PARLAMENTI voce barbarâ, per crebrum tamen usum Civitate Romanâ donatâ, diximus in Discursu *de Parlamentis Galliæ*. Utuntur enim eâ voce & Galli & Itali & Angli, paulò tamen diversimodè. In *Galliâ* Parlamenta dicuntur supremæ Justitiæ Curiæ. Sed in *Britanniâ*, Parlamenta (si summatim dicere velimus, quod res est) nihil sunt aliud, quam *solennes Regni conventus*, seu *suprema Gentis concilia, quæ in hunc finem constituuntur, ut de summis Rebus in commune consilia in illis suscipiantur & instituantur*. Add. Milton. *cap. 9. Defens. pro Pop. Angl. p. m. 64.* Et uti *Livio* universum Ætoliæ Concilium *Panætolium* dicitur; ita hujusmodi Britanniæ Conventum non malè *Pananglium* vocare possis. Omnis enim Regni vigor ibi consistit, *Cleri, Nobilium, Populariumq.* Duces, Marchiones, Comites, Barones, *nobilioris* in Republicâ *partis* defunguntur vice. Equites, Armigeri, Nobiles & Plebeji *multitudinis* locum obtinent. *Cleri* nomine Præsules adsunt. Caput hujus Corporis à multis seculis *ipsa Regia Majestas*, quam post turbatum Reip. statum per duo ferè lustra repræsentare videbatur *novus Insulæ Protector Cromwellus*. Hodiè verò, ex quô post fata hujus, Britones novum *Protectoris* nomen ejurârunt, Regemquè, quem ipsa Natura ipsis dedit, magnis cum tripudiis reduxerunt, KAROLUS iste non Parlamenti modò, sed totius Gentis Caput est & Imperator glorioſisimus.

§. IV.
PARLAMENTI DIVISIO.

AUgusta hæc Patrum Municipumque Conscriptorũm Corona si congregatur, distingvitur in duas Domos: *Domum Superiorem ac Inferiorem.* Superior, das Oberhauß/ *Domus Parium*, vulgò *Domus Dominorum* cognominatur, & in hâc Princeps Ipse summus tanquam caput hujus Corporis (*prout §. præced. demonstravimus*) sedet in excelsô & augustô thronô, sub aureô & sericô cœlô; A latere Ejus, Dynastæ trabeati, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites. *Inferior*, das Unterhauß/ *Domus Communium*, ex Equitibus Provincialibus, & Civibus Urbium à Populô deputatis constat. Ex singulis nimirum Comitatibus vocantur duo milites gladiô cincti seu Equites; & ex singulis Comitatuum Civitatibus duo Cives. Et penes hanc *utramq;* Domum simul sumtam omnis *Parlamenti* vis & autoritas consistit, adeò ut nulla promulgatio Decreti, Constitutionis aut Edicti Parlamentarii vim & effectum sortiatur, nisi utraque Domus præbuerit assensum. *Thom. Smith. lib. 2. de Rep. Angl. cap. 3.* Ita enim post constitutam hanc duplicem Domum placuit, ut nihil magni aut ardui in Parlamentô constituatur, *nisi utraq; Domus, i. e. & Dominorum & Communium seu Plebejorum* consenserit. Olim quidem sub antiquis Regibus Anglo-Saxonicis, imò & sub prioribus ex Normannici Victoris Domô, Plebs ad Comitia Regni non videtur vocata esse, sed ad *Concilium Sapientum*, quod hodiè peregrinâ voce *Parlamentum* nuncupatur, soli Episcopi & Proceres convenire Regis Edictô jubebantur. Sanè sub illis Regibus, qui ante Normannos Principatum in Insulâ tenuerunt, *Regis, Episcoporum & Optimatum* tantùm mentionem fieri legimus, ubi de majoribus

rebus

rebus deliberandum erat, nullam omnino *plebis deputatorum*; prout latè hoc probat Salmasius *in Defens. Reg. cap. 2. pag. m. (edit. Paris.) 167.* Non semper igitur duæ Parlamenti Domus fuêre, sed *sub Eduardo* demum III. primùm contigisse refertur, ut *Communes*, uti vocantur, Domum per se constituerint separatam. De quô tamen adhuc ipse dubitat Salmas. *d. l.* an tùm vocari primùm cœpti sint plebeji ad hos Regni Conventus. Sed quocunque tempore Parlamentum in duas Domos fuerit divisum, id tamen certum est, quod suprà *ex Smithô* retulimus, quòd statim, ex quô hæc divisio recepta, in rebus magnis diliberandis & statuendis *utriusq; Domûs* assensus necessarius semper fuerit. Istis arduis gravibusque Regni negotiis cùm quotidiè Conscripti hi Proceres avocentur, privatorum litibus ac controversiis vix aut rarissimè vacant. Si tamen sive inter privatos, sive Principem inter & privatum, super hereditate, vel feudô, vel aliâ re lis oriatur, & causa illa, sive civilis sive Criminalis, ad Supremum hoc Concilium deferatur, litis summa paucis in schedulâ comprehensa ter in Utrâque Domô renunciatur, de quâ illustris Senatus iste tùm sententiam dicit.

§ V.

PARLAMENTI CONVOCATIO antiqua ac frequens.

NOstri Reges, ait Bodinus Gallus lib. 3. de Rep. cap. 7. *non ita sæpè, ut Angli, Comitia cogunt.* Antiquiori quidem tempore Reges Britanniæ non nisi in initiis aditi Regni Parlamentum seu publicum Regni Conventum instituebant, *Polyd. Vergil. lib. XI. de Reb. Angl. fol. m. 185.* ad quem referre solebant, quicquid ad Publicam Rem benè gerendam aut conservandam deliberandum erat. Refert hoc institutum *Vergilius d. l.* ad *Henrici Regis* tempora, eò quòd ante Eum non

non consueverint Reges Populi Conventûm consultandi causâ, nisi perrarò, facere. Hoc certum est, sub Regibus ante Guilielmum Conquæstorem nullam *Parlamenti* mentionem extare. Nominis puta, res & antè fuit. *Milton. in Defens. pro Pop. Angl. cap. 8. pag. m. 76.* Tempore enim, quô Saxones Insulam tenebant, *Concilium Sapientum* vocari solitum, quod hodiè dicunt *Parlamentum*. Probat latè hoc Miltonus *d. cap. 8. pag. 80.* nec illustris diffitetur Salmasius *in Defens. Reg. cap. 8. pag. m. (edit. Paris.) 164. in fin.* Sapientes illos seu Senatores Regni, Saxones vocârunt *Aldermannos, Seniores*, quod nomen hodieque in Angliâ obtinet, & Senatoribus attribuitur Londinensibus. Sed rarius istud *Concilium Sapientum seu Prudentissimorum* convocabatur; Succedenti verò tempore frequentiùs; forsan ut impedirentur conjurationes subditorum, aut corrigerentur vitia Reip. vel propter ingruentia bella externa, aut aliam quamlibet majorem vim aut necessitatem, vel etiam propter imperanda nova tributa ad Exercitus conscribendos aut alia ejus generis, quæ ad summam Rem pertinent, ut publicè consultaretur, quibus modis expeditioribus Regi & Regno subveniatur. Poterant quidem Reges jure suô, etiam sine consensu Populi, tributa imponere atque exigere; Æquius tamen videbatur, causæ necessitatem publicè Civibus demonstrare, & publicam utilitatem, quæ ab illis exigat subsidium. In turbatô Britanniæ statu, triennio vel etiam sæpiùs Parlamentum convocari placuit. *Brito anonymus in tract. de constit. nuper Rep. Angl. pag. m. 61.* Frequentia igitur Parlamenta, non tamen perpetua aut continua. *Perpetuitas Parlamentorum* uti Anglis semper fuit exosa, ita & ingenio eorum convenire non videtur. Appositè quidam Anglus: *Parlamenta, interpositô certô intervallô, medicinæ, non victûs in modum adhiberi oportet. Idenim nî fiat, nimiâ adsue-*

adsuetudine corpus vitiabunt, medendi vim nullam habitura. Et ex hôc ipsô, quòd Parlamentum non sit ordinarius aut perpetuus Conventus, luculenter apparet, quòd dependeat ab aliô. Quod semper est, suapte vi nititur, nec ab aliô, ut sit, potestatem accipit. Quod non semper est, ut aliquando sit, ab alterius virtute pendet.

§. VI.

PARLAMENTI CONVOCATIO penes Regis arbitrium.

A Cujus igitur virtute pendebit Parlamenti convocatio? à nullius alterius, nisi à Regis. *Parlamentum à Principe pro arbitriô indicitur*, ait Gvilielmus Camdenus *in Britanniâ suâ pag. m. 106.* Idem tradunt Polydorus Vergilius *in Lib. XI. de reb. Angl.* Philippus Honorius *in relat. de regnô Britann.* & alii. Ita & Sigismundus Waremund, von ietzigen Zustand des Königreichs Engellands / *Discurs. 9. pag. m. 128.* Anno 1640. *ait*, den 3. April. ward auff belieben S. Mayst. ein Parlament in Londen zusammen geruffen / welches sich aber bald wiederumb zergliedert ꝛc. Auff stetes anhalten aber ist auf gnädigste Verordnung S. Mayst. noch im selbigen 1640. Jahr / und zwar den 3 Novembr. ein ander Parlament angerichtet worden. Non opus esset, multis testimoniis fidem stabilire, quòd Parlamenti Convocatio sit penes Regis arbitrium, nisi id negare ausus fuisset *Miltonus*, Anglus, Gentis suæ, vel potiùs tyrannidis à parricidis quibusdã commissæ, Defensor acerrimus, *cap. 9. in pr. Defens. pro Pop. Angl.* ubi ait: *Si Rex Parlamentum convocat ad procurandas res Populi, non suas, neq; id nisi adsensu eorum atq; arbitriô, quos convocat, quid aliud est, obsecro, nisi minister Populi & Procurator?* Egregia sanè consequentia, si probare posset Brito antecedens apertè falsum, nimirùm Re-

gem *non nisi adsensu & arbitrio Populi aut Optimatum* Parlamentum convocare posse. Reclamant omnes Historici Angliæ, qui constanti asseveratione dudum attestati sunt, *pro arbitrio Regum* Senatum hunc convocatum semper esse, Et experientia quoque adversatur. Anne unquam Rex Angliæ Parlamentum convocavit *nomine Populi?* At debuisset, si Ejus minister aut saltem procurator. Minister enim nihil quicquam agere potest nomine proprio, sed quicquid agit, facit nomine Domini sui. Anne unquam Proceres isti convenerunt in unum ad res communes consultandas (si excipias statum turbatum) nisi *per literas Regis* vocati? Anne unquam Populus aut Plebs coëgit Regem (uti potuisset, si primarius tantùm Ejus esset minister) ut convocaret Parlamentum? *Populus id petit*, ait Miltonus *d. cap. 9. in pr.* ibi: *quoties Populus id petit.* Fac, Populum id à Rege petere. Si supplex petit, quomodo quæso Rex minister Populi dici poterit? A ministrò nihil petimus, sed imperamus ei. Quodcunque à me petitur, id possum facere vel non facere, & liberum habeo arbitrium, petitioni isti locum deferre, vel rejicere eam. Nimirùm ita consuevit Miltonus, semper, quod sibi vel maximè adversatur, id veluti firmissimum causæ suæ subsidium adducit; nec adversariò ipsi opus, cùm semper sibiipsi adversetur.

§. VII.

PARLAMENTUM UNIVERSUM INFERIUS IPSO REGE.

QUanquam *Parlamentum* sive per Regum indulgentiam sive per Procerum arrogantiam magnam sibi acquisierit auctoritatem, nunquam tamen eam accepit, quâ in ipsum Regem insurgere justè potuerit; sed uti ab ipsis Regibus constituitur, ita potestatem etiam & auctoritatem

Regiâ

Regiâ multò inferiorem & ab ipsis Regibus concessam, Ipsisque ideò subjectam semper obtinuit. Quis putabit, Regem convocaturum eos, quos sciat, sibi imperaturos & fore superiores? Perpende membra Utriusque Domus. Senaculũ *Superius* constat ex Episcopis, Ducibus, Comitibus, Baronibus. Sed annon hi omnes, dignitates suas & honoris istos titulos à Rege adepti sunt. Præterea omnes sunt vasalli Regis. Tantum autem abest, ut vasalli in Dominum suum insurgere possint, ut ne quidem eum deferre aut aliquid iniquius de eô loqui queant, quin feudi amissionem timendam habeant. Domus *Inferior* constat ex Equitibus Provincialibus & Civibus Urbium primariis. At quis negat, eos singulos Regis esse subditos? Quid pluribus? Fatentur omnes Historiarum Anglicarum Consulti, *Parlamentum semper inferius fuisse ipsô Rege.* Confitebantur idipsum clarissimis verbis Ipsi Concilii istius Supremi Senatores in Actô Parlamenti Annô *Jacobi Regis* primô celebrati, in clausulâ Regiam Majestatem ita alloquentes: *At ẽ illi submittimus humilimè & fidelissimè nosmet ipsos, heredes & posteros in perpetuum, usq; ad extremam guttam sanguinis nostri exhaustam, & obsecramus Tuam Majestatem hoc accipere, ut primos fructus in hac Summâ Curiâ Tui Parlamenti, nostri obsequii & fidei erga Majestatem Tuam, & Regalem Tuam Progeniem & posteritatem in aternum.* Egregiè servârunt Maiorum suorum fidem ingrati posteri! quàm sanctè Patrum & Antecessorum suorum steterunt promissis? quàm pium obsequium præstitêre JACOBI posteritati? Nondum extersæ sunt sanguinis Regalis maculæ: rubent usque per Insulam lucentq;. Sed vix est, ut Regicidium illud adscribamus *Parlamento*, quin potiùs hodiè apparet, Parlamentum (integrum) nihil minùs feciſſe, quàm judicâsse aut damnâsse Regem suum. Sed quicquid sit de auctore

istius facti, (neq; enim hodiè istius, utpote per amnestiam seu, *ut C. Nepos in Thrasib. loquitur*, legem oblivionis jamtùm sepulti, vel meminisse decet) publicâ istâ Patrum Conscriptorum confessione satis probatum videtur, *Parlamentum Regiæ Majestati semper subjectum fuisse*. Id si non satis, & ex hôc luculenter illud apparet, quòd nullum Decretum ab utrâquè licet Domô comprobatum subsistere unquam potuerit, nisi animam quasi & robur illi addiderit jussus summi Principis; nulla etiam Constitutio firma, stabilis ac sancta habita, nisi Regis confirmata fuerit assensu. Quid? quòd Reges ipsa Parlamenti placita pro lubitu semper confirmare potuerint aut rejicere, quod satis testatur Thomas Smithus *lib. 2. de Rep. Angl. cap. 3. in fin. pag. m. 70.* qui refert, quòd, cùm ultimô Consessus die in Parlamentô decreta recitentur, quorum quodvis hôc quasi capite ac titulô insignitum sit: DECRETUM EST &c. quæ Princeps comprobet, istis verbô robur addat: REX, aut (si fœminæ diadema obtigerit) REGINA ITA VULT; habeanturque tùm consummatæ Regni Anglicani Constitutiones. Quibus verò Rex derogatum velit, haut pluribus verbis utatur, quàm: REX aut REGINA DELIBERABIT; quæ propterea extinctę penitùs ac elusæ censeantur. Quod nec ipse diffiteri *Miltonus* potest, utut Regibus Angliæ infensissimus, *in suâ defens. pro Pop. Angl. cap. 9. in pr.* ut & *Auctor Libelli* Hagæ Comit. ex Anglicô in Latinum versi ac inscripti: *Ratio constitutæ nuper Reip. Angl.* pag. m. 71. Facit pro Superioritate Regis, quòd minuere & augere numerum ad augustum hoc Concilium vocandorum semper spectârit ad Ejus arbitrium, quod & innuit Camdenus *in suâ Britanniâ pag. m. 206.* Integrum enim Regi semper fuit, quoscunquè vellet, Comitum vel Baronum titulô ac insignibus decorare, & ad majorem Parlamenti Domum evocare. Quod satis

testatur

teſtatur Philippus Honorius *in Relat. de Regn. Britann. in fin.* *quin etiam*, ait, *non modò quicquam decernere aut quemcunq; actum facere nequeunt, ſed ne congregari quidem poſſunt, niſi nutu Regiô. Solentq; Reges ad ea quoslibet admittere, atq; ab iisdem removere; nempè ita formidabiles cunctis facti ſunt, ut nemo in Parlamentis, aut extra ipſa, audeat ſeſe ne minimô quidem verbô Regiæ voluntati opponere, niſi ſibi damnum ac ruinam velit accerſere.*

§. VIII.

CONTRA MILTONUM DISPUTATUR.

SI hæc jàm ita ſe habent, uti ex Hiſtoricis fide digniſſimis ſatis à me hactenus probatum eſſe puto, quâ fronte & ſibi & aliis perſuadere conantur quidam Angli, *Parlamentum non eſſe Regi ſubordinatum, ſed coordinatum.* Tres nim. eſſe Parlamẽti Ordines nec autoritate nec poteſtate inter ſe differentes. *Regem, Domum Superiorem & Inferiorem.* Alii magis ineptiunt, propugnantes, *Regem* conſiderari tantùm debere *ut membrũ aliquod Parlamenti*, non ùt Dominum aut Caput Ejus. Audiamus Interlocutorem *Miltonum.* Dicit cap. 8. dict. Defenſ. p. 75. *Parlamentum frenum Regis dicitur, adeoq; non magis Rex Parlamenti eſt dominus, quàm equus eſt ſui dominus freni.* Tales hic homo conſequentias torquere ſolet, quales Ocnus funes apud Inferos, quæ nulli ſunt uſui, niſi ut comedantur ab aſinis. Candidiùs longè ſcripſit *Philippus* quondam *Honorius* in d. Relat. de Regn. Britann. in fin. *quemadmodum ſervi*, ait, *& ſubditi ſunt ij, qui Parlamentis interſunt, ita actiones & conſilia inde prodeuntia ſervilia eſſe neceſſe eſt.* Sed reſpondendum Miltono. Fac, Brito, Parlamentum per Leges quasdam ſtatûs Fundamentales refrenâſſe aliquô modô Dominicam Regum poteſtatem, adeò ut in ſummis Rebus & arduis Reges Conſi-

lium Procerum adhibere necesse habuerint; Fac KAROLUM quoque, modernum Insulæ Principem, in capita quædam Parlamento jurâsse. Anne exinde sequitur, *Reges Angliæ esse ministros Parlamenti, aut saltem non Dominos*. Percurre omnia Regna, quæ Leges habent Fundamentales, & perpende, an Leges istæ summo Regum Imperio quid detrahant. Hispaniæ, Galliæ, Ungariæ, Daniæ, Poloniæ, Sveciæ & plurimi alii Reges Legibus se adstringunt fundamentalibus. *Bened. Carpzov. in Leg. Reg. Germ. cap. 1. sect. 3.* quis autem istis potentissimis Regibus ob id summam denegabit potestatem, seu uti vocant, majestatem? *Idem cap. 13. sect. 4. n. 10.* Potestas, quæ *absoluta* dicitur, non sic dicitur *respectu rerum agendarum*, quasi quidvis agere liceat, quod libeat (quod *Julia* quondam *Antonino* persuadere satagebat) sed *respectu potestatis superioris*, quam nescit. Quando igitur non cogitur quis à superiori, sed suâ se voluntate adstringit ad id, quod in cõmoda subditorũ vergit, potestati absolutæ nihil decedit. Sicut supremum Numen nõ idcircò, quia peccare non potest, minus est seipsô, sed eò illustrior & admirabilior fit ipsius perfectio & omnipotentia: Sic etiam Reges cùm Legibo ad salutẽ Regni spectantibo sponte se adstringunt, ad perfectionem propius accedunt, quàm si ex arbitriô & voluntate omnia gerant. nedum absoluto Ipsorum Imperio aliquid inde abibit. Et si inde periret potestas Monarchica, nullum esset invenire Regem absolutum in totâ Rerum Universitate; cùm omnis Imperans, si Rerum gerendarum gravitas exigat & occasio patiatur, ex naturâ suâ obstringatur, consilium adhibere Statuum, teneaturque de omnium, aut locô omnium, plurium sententiâ aggredi, quod omnium periculô effecturus est; nisi à Regiis virtutibus ad tyrannicam dominationem cursum flectat. Argumentor: Quicunque promittit aliquid facere vel non

facere,

facere, ad quod faciendum vel omittendum vel naturaliter, vel moraliter obligatur, ejus potestas libera per hoc non imminuitur. Ratio, quia ejusmodi promissi oppositum aut naturaliter aut moraliter ipsi impossibile est. Quod autem alicui ita impossibile est, illud ejus potestatem neq; tollit, neq; imminuit. Posse enim non impossibilium est, sed eorum, quæ possunt fieri. E. g. si promittam, *me velle edere, dormire*; item *honestè vivere*. Prioris promissi oppositum *non edere, non dormire*, naturaliter; posterioris, *non honestè vivere*, moraliter impossibile mihi est, *per L. 15. ff. de condit. instit.* Ad prius igitur, *nim. ut edam, ut dormiam*, naturaliter; ad posterius, *ut honestè vivam*, moraliter obligor, sive promittam, sive non promittam. Oportet me edere, dormire, ut vivam. Impossibile est me vivere, si non edam, si non dormiam. Sic Reges quoq; oportet Leges observare Fundamentales, ut imperent. Quia si non observant eas, non imperant, sed tyrannicè dominantur. Contradictionem moraliter implicat, imperare & non imperare secundum Leges fundamentales. Hæ enim faciunt Regem esse Regem ut sic. Et Rex neglectis Legibus Fundamentalibus non Rex manet, sed tyrannus evadit. Quid igitur? Concedamus, Reges Angliæ in initiis aditi Principatûs seu Inaugurationis tempore *Juramentum pro salute Regni* Parlamento *præstitisse*, Ipsum etiam KAROLUM II. fortissimum Heroëm, in primordiô aditi Regni Patrii in capita quædam Parlamento *jurâsse*. Non exinde sequitur, *Reges Angliæ non habere potestatem absolutam*. Nec enim juramentum, quod in omnibus ferè Regnis obtinet, etiam puris, pro salute Reipubl. à summô Principe interpositum & præstitum, majestatem ejus lædit, uti de hôc punctô jamtùm paulò liberiùs disseruimus. Quid? hisce Juramentis Principes solvere, quibus Reip. salus continetur, quid aliud esset, quam tyrannum efficere, & totum Imperium pessundare.

§. IX.

§. IX.

PARLAMENTI JUS AC POTESTAS

in Statu Reip. turbatô.

QUanquam in initijs Turbarum Parlamentum & Exercitus Angliæ non videri volebant, conatus ſuos eò dirigere, ut Regiæ Poteſtati tùm conſtitutæ litem intenderent, ſed ut Regiam dominationem ad normam ſaltem revocarent, ipſumque Regem intra cancellos legitimæ potentiæ cohiberent; quinimò ne in mentem quidem ſibi veniſſe ajunt, *Regium Imperium rejicere*, & quod adipſum KAROLUM attineret, ne minimum quidem Ejus repudiandi Conſilium primùm fuiſſe; id tamen ipſi Angli, qui id ſcribunt, fateri neceſſum habent, id ſaltem, ſi non aliud, Parlamentum intendiſſe, ut ſupremus Inſulæ Magiſtratus non ſangvinis jure, ſed per ſuffragia acciperet purpuram. Ita *Auctor Libelli* ex Anglicô in Latinum verſi ac inſcripti: *Ratio conſtitutæ nuper Reip. Angl. penes Dn. Protectorem & Parlamentum* pag. m. 19. *Hic etiam*, ait, *memoriâ tenendum eſt, eô ipsô tempore, cùm ab Exercitu ſcriptum illud Fano Sancti Albani eſt editum, paulô antequam Rex tribunali ſiſteretur, ne in mentem quidem veniſſe Regium Imperium rejiciendi, dummodò Electivum foret.* Et Regiam quidem Dominationem nec in Statu Turbatô huic Genti fuiſſe adeò infeſtam, vel ex eô pateſcere poteſt, quòd Parlamêtum nomine Populi, quõdã Protectori Inſulæ, *Cromwello*, Regios Faſces non ſemel Anno 1657. ſolenniter & publicô in Conſeſſu obtulerit. Quô ipsô ſatis prodiderunt Patres Conſcripti, *Regiam Dominationem* ipſos non adeò ſubterfugere, modò non hereditariô jure uni ſtirpi annectatur, ſed per eorum ſuffragia digniſſimo deferatur, qui cùm precariò ad ſceptra perveniat, non renueret, Leges quascunque, etiamſi ſummæ Poteſtati inimicas,

ras, recipere; aut saltem cogitaret, quòd non semper esset imperaturus. Quò enim aliò fine Patres Purpurati *electivum Regem* postulabant, quàm quòd sperarent sub tali Principe Ipsi regnare? Aut ut potestatem nanciscantur, tali, si non secundum placita eorum publicam Rem gerat, sceptra eripere? *Populus Regem facere jure adsuetus, sæpè quoque tum audet amovere injuriâ.* Eleganter Joannes Barclajus *in Argenide Lib. 1. pag. m. 117.* Et ita quoque Britones animatos fuisse, ipsi non ita pridem reddiderunt manifestissimum, dum post *Cromwelli sui* fata Ipsius Filium ad Illustre Protectoris Munus communibus suffragiis vix admissum iterum rejecerunt, istamque dignitatem simul cùm Ipsò. Nec unquam videtur animus fuisse Anglis, Protectorum jugo se perpetuò subjicere, cùm Parlamentum Summum istud Munus in *Cromwellum* non hereditariò jure contulerit, sed ipsius tantùm personæ augustum hunc titulum competere voluerit. prout testatur supra memoratus Autor *de Rat. constit. Reip. Angl. pag. m. 93.* Postremò, ait, *quod ad ipsum Dn. Protectoris Munus, advertendum est, neminem ad eam dignitatem provehendum esse, vel Sui vel Familiæ suæ causâ, sed duntaxat prout idoneus & illo munere dignus videbitur, quod non hereditariò jure, sed per suffragia ad Eum perveniet.* Et hâc viâ *Parlamenti* potestas omninò stabilita fuit. Vidimus enim tùm temporis, præprimis post Protectoris ultimum diem, *Parlamentum* omnia *Suprema Potestatis* Capita, Populi nomine, exercuisse, non ea modò, quæ sub Regibus potestate deputatâ sibi vendicabat, sed ea etiam, quæ antea ne postularet quidem. Non ea modò, quæ Civitatem concernunt domi, sed & hæc, quæ foràs sese ad Exteros porrigunt, ac partim Legationes, partim fœdera, partim bella attinent. Certè Religionis res omnes pro arbitriò tractabat atque reformabat. Leges cùm promulgabat novas, tùm veteres

abrogabat. Magistratus ordinabat; tribunalia statuebat; tributa atque vectigalia extendebat modò, modò remittebat; cudebat monetas. Magna hæc Summæ Potestatis argumenta sunt, at majora restant. Disponebat præsidia; ordinabat Exercitus; instruebat Classes; Legatos mittebat, recipiebat. Fœdera inibat, ambiebat. Et quis omnes solennes Reipubl. novellæ enumeret actiones? Aut *penes quos ista summa Rerum gerendarum potestas residebat?* (qui exercuerint, jam diximus) aut ut cum Civilis Prudentiæ Præceptoribus loquar, *quæ Reipublicæ tum forma? mixta, an pura?* difficile hoc admodùm, ignotum ferè, dubium. Dicit *Miltonus*, quòd publicâ Parlamenti auctoritate arcanus quadraginta Nominum Senatus, quem *Consilium Statûs* appellitârint, constitutus fuerit, quòd utile visum fuerit, quædam ad paucos referre, in novellam Reipubl. Constitutionem benè animatos. Quid igitur? Anne isti Collegio summam tribuemus potestatem? Aut dependebat id *à Parlamento*. Nam à Parlamentô, aut, si mavis, à Populô in Parlamentô constitutum erat. Ita enim loqui amat Anglus *in supra memoratô tract. de constit. Rep. Angl. pag. m. 90. quod ad Consilium*, ait, *tametsi electio eorum, qui in illô adsunt, non explicitè & propriè, virtute tamen atq; ultimò penes Populum in Parlamentô est.* An igitur toto Parlamento? Aut hoc ipsum dependebat tum *à Populo*, uti jam dictum, ac Miltonus sæpius, & omnes Scriptores Anglici neoterici clarè fatentur. Expressè Brito anonymus in dict. tract. de constitutâ nuper Rep. Angl. pag. m. 92. *quicquid agit Parlamentum*, ait, *id acceptione Politica à Populô actum dicitur atq; censetur.* Et quamvis inficiarentur hoc, testarentur id publica monumenta, quæ nomen Populi Anglicani in fronte habent. Quid? quòd Parlamentum *nomine Populi*, der Gemeinde in Engelland/ tristissimam illam & execrandam in KAROLUM

LUM I. tulerit sententiam, atquè post Ejus fata, omnia Imperii expediverit negotia. Dicimus igitur ex communi Civilium Magistrorum loquendi modò & veritate Rei, in statu Angliæ turbatò *Aristocraticè administratum fuisse populare statum.* Tùm enim Britannia liberam se vocabat Remp. & ita vocari in publicum unicè amabat.

§. X.

PARLAMENTI JUS AC POTESTAS in statu Monarchicò.

PArlamentum vetus, anno 1649. (glorioſiſſimo Regi KAROLO PRIMO fatalis is erat) neſcio ex quibus Martis pullis & infimæ ſortis hominibus conflatum, gloriabatur in Declaratione tùm emiſsâ, *Regem Parlamenti auctoritate fuiſſe electum*, publicæq; ſaluti protegendæ præfectum, adeoque liberum atque integrum Parlamento remanſiſſe, de Eodem pro lubitu diſponere. Miror, quid crepent Declaratores *de Regis electione*, quam omni ævò Inſula ignoravit? *Hereditarium* enim fuiſſe Regnum Angliæ, fixumque & immotum jus ſucceſsionis in Regnantibus durâſſe ſemper, teſtatur omnis Hiſtoria. Nec regni forma unquam innovata, *licet Domini immutati ſæpè.* qui ipſi tamen hereditarium hoc Regnum eſſe ſemper voluerunt. *Romani* Regibus, qui Britanniam anteà tenuerant, eripuerunt: Romanis *Angli & Saxones*: his *Dani*: Danis deinde iterum *Saxones*: tandè Saxonibus *Normanni*, ex quorũ Gente continuâ ſerie per ſexcentos circiter annos ſucceſſerunt Reges. Confeſſum eſt hoc ipſum Parlamentum modernum, dum non ita pridem, ante felicisſimum Regis KAROLI II. Reditum, *Eum legitimum Regni heredem*, einen rechtmäſſigen Erben des Königreichs/ Londini publicè proclamavit.

navit. Non opus est, inspicere, an primus ex Normannorum Gente Rex, *Guilielmus ille Nothus*, cognomentô *Conquestor*, à Parlamentô creatus sit? Nam satis notum est, ab armis jus suum accepisse, non ab ullô Senatu, qui tunc fuerit, aut qui hoc potuerit. Nunquam legimus, *à Parlamentis Reges ullos constitutos*, sed *à Regibus Parlamenta*. Hoc quidem jus longô ævô Parlamentum usurpavit, ut *proclamaret* publicè Regem, cui hereditariô jure sceptrum obtigit. Verùm non ut istiusmodi Proclamatione Regem faceret, sed tantùm eum in finem, ut omnes Imperii Cives admoneret debiti obsequii, subjectionis & reverentiæ erga Regem, quem sanguinis ratio ipsis dedisset. Patent hæc omnia ex *Proclamatione*, quæ sextô die ante glorioſissimum Regis KAROLI II. in Insulam Reditum *Londini* à Parlamenti Utriusque Domûs primariis membris in magnô Civium Comitatu & communi omnium applausu solenniter publicis locis affixa est. Valdè è re erit, cùm maximam fidem dictis nostris Ea proclamatio afferre possit, ejus verba Germanô ore hic referre: **Ob gleich kein Zweiffel kan getragen werden / daß Ihrer Königlichen Majestät Recht und Titul zu Ihren Kroonen und Königreichen / durch den Tod seines Königlichen Herrn Vaters / glorwürdigsten Gedächtnüß / ohne die gewöhnliche Ceremonien und** Solennitäten / **unwidersprechlich und vollkommen zugefallen ist; iedennoch / weil in solchen Fällen** Proclamationes **iederzeit üblich und in löblichem Gebrauch gewesen / zu dem Ende / auff daß alle Unterthanen bey solcher Gelegenheit Ihren schuldigen** respect **erweisen können; Weil aber bißhero die gewapnete Macht und andere** Calamitates **von vielen Jahren uns solcher Gelegenheit beraubet haben / wodurch wir unsre schuldige Unterthänigkeit und Treue Ihrer Königlichen Majestät gehorsamlich möchten zu erkennen geben.**

Dero-

Derowegen thun wir Herrn des Ober- und unter-Hauses im Parlament gegenwertig versamlet/ zugleich mit dem Präsidenten/Alldermanns und gemeinen Rath der Stadt Londen/und andern Landsassen itzo zugegen/vermöge unserer Schuldigkeit und Treue/hertzlich/vergnüglich/ und einhällig erkennen und proclamiren/daß so bald die Seele des verstorbenen Königs KAROLI außgefahren/die Königliche Kroone des Königreichs Engelland/und allen angehörigen Königreichen/Herrschafften und dominien durch angeerbtes Recht/erblich und durch rechtmässige succession Ihrer Königlichen Majestät KAROLO dem Andern zu gefallen sey/der da aus dem königlichen Stamme gebohren/und ein rechtmässiger Erbe dieses Königreiches ist/und daß Er durch Gottes Gnade und Providentz von Engelland/Schottland/Frankreich/und Irrland/der glorwürdigste/mächtigste/unrechtmässige König sey/welchem wir uns selbst/unsre Erben und Nachkömlinge in aller schuldigen Unterthänigkeit ergeben und unterwerffen. Hoc igitur jure publicè proclamandi Regem, antequam is Principatum sanguinis jure ad se delatum adeat, *Parlamentum* fruitur; Sed in quem finem, ex dictis jam patet. Post aditum à legitimo Regni successore Principatum, Parlamentum, si non ob graviora Regni negotia Consilia publica Regi instituere placuerit, dimittitur, & potestate, si quam habet, exuitur. Mox, si quædam ad publicam Rem vel benè gerendam vel rectè conservandam maturiori acumine deliberanda veniunt, iterum *pro Regis arbitrio* convocatur, & jure ac potestate plenâ instruitur, ut in Reip. salutem de publicis Regni negotiis consilia instituere possit. Et hoc ad captandum Populi amorem Reges frequentius facere, *suprà §. 5.* diximus, ut quæ pro omnium salute sunt suscipienda, de omnium aut loco omnium, plu-

rium ſententiâ aggrediantur. Sic enim Populus gaudet obſequi Regibus, & Reges tutò poſſunt imperare Populo.

§. XI.

EPILOGUS
ad KAROLUM II.
MAGNÆ BRITANNIÆ REGEM.

ET TIBI, KAROLE, Britones Tui jam obſequi gaudent, & ſub Tuò Imperiò ſecuri vivunt. Nunc tandem publicè teſtantur, quô in TE animô fuerint, & apertè execrantur iniquiſſima Tua fata. Fruere nunc Tuâ quiete, REX OPTUME MAXUME, qui poſtquam extorris, alienæ opis indigus, humanæ fragilitatis exemplum Orbi exhibens, ſatis diu Exilium Tuum circumtuliſti, nunc poteris exoſculari divinam manum, quæ olim mortale vulnus inflixit. Nunc poteris ducere ſerenum ævum, ridens ætheris minas. Nunc poteris, evaſus de naufragâ rate, arenam ſecuris greſſibus premere, cautesque ac ſcopulos, quibus Te iniquior tempeſtas illiſit, gratiſſimô horrore de littore contemnere. Nunc poteris triumfare, FORTISSIME HEROS, de hoſtibus Tuis, cum quibus manus conſerere unicum Tuum erat votum. Sed fatis abrepti non potuerunt Tuas experiri vires. Conſurge nunc in arma, & ſi qui reliqui ſunt Majeſtatis Tuæ inſidiatores, invictis viribꝰ juſtiſſimam de iis ſume vindictam. Malos ſterne, bonos ſerva, plurimos clementiâ vince, & quod armis & viribꝰ obtinere nõ potes, hoc Pacifici opinione & re conſequere. Sic omnes ad TE jucundiſſimè trahes; omnes Tibi leniſſimè ſubjicies; nullâ vi, nullô impetu, nullâ cæde, ſolâ DEI protectione acerrimos & potentiſſimos hoſtes cohibebis. Prudentiâ & Clementiâ omnium Civium animos in laudẽ

Tuam

Tuam inflammabis; ora omnium, oculos, manus quoq;, & quicquid cuiq; virium est, ad eam significandam, publicè & privatim convertes. Hinc tabulæ, hinc æra, hinc marmora, hinc æterna literarum monumenta, non posteritati tantùm, sed æternitati illustrissimas Tuas Virtutes & Felicitatem tuam commendabunt. *Faxit Deus*, ut mitioribus tandem decretis suum quoq; in nos crimen Fortuna excuset!

TANTUM!

COROLLARIA
ex Jure Publicô.

I.

Licet Roma ab Imperiô avulsa, nihilominus rectè adhuc Imperatores Romanos dicimus.

II. *Imperator non est Status Imperii.*

III. *Status Imperii non potest esse sine territoriô.*

IV. *Elector non potest absens votum suum de eligendâ certâ personâ per literas mittere.*

V. *Electores eligunt ut singuli, non ut collegium.*

CASUS
ex Jure privato.

I.

Titius ducit uxorem Cajam. Caja elapsô unô vel alterô annô transmutatur in Virum. Q. an Caja hæc solutô per hanc metamorphosin matrimoniô possit repetere dotem? Dist.

II.

Sempronia defunctô maritô Mævio nubit Titio. Mævius divinâ potentiâ in vitam resuscitatur mortalem. Q. An Mævius hic secundùm vivus uxorem Semproniam & bona sua repetere possit? Aff.

Ad

Ad Generosum

DN. DISPUTATOREM.

EN feræ sortis satiatus EXUL,
REGIUS ludô solium recepit
Patrium tandem, celebrans triumfos,
Et suæ Gentis Pater atque Princeps
Jam salutatus regit æquus illos,
Mens quibus sero melior resedit.
SCHULTE, sublimi specula BRITANNOS
Orbe divisos respicis, novôque
excipis plausu KAROLUM, docesque
Jura quid Regis valeant in ANGLOS.
Arduum, curâ genioque Tuoque
Suscipis dignum; meditatus antè,
Si sit errandum, satius putari,
Rebus in magnis gravibusque labi.

PRÆSES.